

curis Ascanii concreditas, Universitati nostræ obtulit regis gratia, ideoque autumnno præterlapso sub meam inspectionem pervenerunt. Jam in eo sum ut eruam e cistis Arabicis et ex uberrima Testaceorum copia ibi contenta specimina notatu digna rariora vel nova. Adest quoque Materia Medica studio b. Forskålii Constantinopoli collecta et manu ejusdem diligenti titulis Arabicis & paucis aliis obs: illustrata. Quædam ex his omnibus videbis in Fasciculo Obs: quas jam meditor, invenies quoque ibi pisces binos septentrionales vere singulares & magnos. Unus horum exstat in fasciculo novo piscium quem nuperrime divulgavit Ascanius, alter excusus est in Opere danico nuper evulgato sub titulo Islands Beskrivelse bekosted af Videnskaps Societetet. Sed figuræ horum piscium minus exactæ novas merentur, quas ipse juxta naturam repræsentavi accuratas, et descriptionibus, quæ citatis desunt, illustravi. Actis Vestris, si satis digna judicas, ea offerre haud repudiam, quæ ejusmodi occasione se offerunt. Inter Insecta augetur numerus novorum quotidie, spero fore, ut fata mihi venient benigniora, sic possim majori stimulo reliqua persequi.

Adest jam apud Vos mihi amicissimus Vir Consiliarius Status Dan: DD: Kofoed Ancher qui munere Professoris Juris fungitur multoque honore nostram Universitatem decoravit. Ob manuscripta codd: præsertim historiæ danicæ Sveciam adiit ibique aliquo morabitur tempore. Ille est qui hasce literas secum portat. Venerabundi Edwardi magni Angliæ ornithologi effigie gypsea decoratur bibliotheca Theatro Naturæ addita, magnum mihi addes gaudium si Tuam e gypso confectam mihi per Dnum Kofoed Ancher mittas, erit mihi semper inter pignora amicorum gratissimum munus. Königius nuperrime scripsit avesque nonnullas Theatro misit, ubi quoque ejus olim missas collectiones admiror. Fata illi sunt minus fausta sed proh dolor! commune illi est cum pluribus Naturæ consultis naufragium.

Hisce diebus Ars, quæ veterinaria dicitur, suum nacta est Professorem, Virum vere eruditum et in arte strenuum Dn: Dr: Abildgaard, in historia naturali quoque haud leviter